

OFFICIA PROPRIA  
ECCLESIAE ET ARCHIDIOECESIS  
BEROLINENSIS

Die 4 Februarii

S. RABANI MAURI

Episcopi et Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

**Bened.** Ad societatem.

**Lectio iii**

**R**abanus cognomento Maurus, humili genere ortus, ab adolescentia sua sacramentorum litterarum lectioni ac meditationi intentus, adhuc iuuenis ad sancti Benedicti regulam in urbe Fuldensi se applicuit. Scholam publicam ibi institutam etiam abbas tam egregie promovit, ut laus eius et fama per totam Europam celebrata fuerit. Ipse a sancto Alberto Magno ecclesiae doctoris elogio decoratus est. Moguntiae Archiepiscopus factus duas coegit Synodos, provincialem unam, nationalem alteram contra Godeschalcum haesiarcham, de praedestinatione male sentientem. Pauperibus insigni misericordia in dies famis plus quam trecentis victum praebuit, exceptis iis, qui in praesentia ipsius ve-

scebantur assidue. Ad vitam migravit immortalem quarto die februarii, anno Domini octingentesimo quinquagesimo sexto. Sacrum eius corpus Moguntiae tumulatum postea Hallas in Saxoniam translatum est. Te Deum laudamus.

AD LAUDES

**V.** Iustum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

**Ad Bened. ant.** Euge, serve bone \* et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

**Oratio**

**D**eus, qui populo tuo aeternae salutis beatum Rabanum ministrum tribuisti: praesta, quaesumus; ut, quem doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in caelis. Per Dominum nostrum.

**Et fit commemoratio S. Andreae Corsini Ep. et Conf.:**

**Ant.** Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

(2)

Diebus 15 Martii et 21 Aprilis

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolum glóriæ induit eum.

**Oratio**

**D**eus, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum: da pópulo tuo beati Andréæ Confessoris tui atque Pontíficis ita sequi vestigia; ut assequátur et præmia. Per Dóminum.

Die 15 Martii

S. CLEMENTIS  
MARIE HOFBAUER

**Confessoris**

**Commemoratio**

**Tempore Quadragesimæ fit commemoratio in Laudibus tantum:**

**Ant.** Euge, serve bone \* et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutam, intra in gáudium Dómini tui.

**V.** Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Oratio**

**D**eus, qui beátum Cleméntem Mariám miro fidei róbores et invictæ constantiæ virtúte decóradi: eius méritis et exémpis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritate ferventes; ut præmia consequámur æterna. Per Dóminum.

Die 21 Aprilis

S. CONRADI A PARZHAM

**Confessoris**

**III classis** [111]

AD MATUTINUM

**Bened.** Ad societátem.

**Lectio iii**

**C**onrádus in vículo Parzham diocésis Passaviénsis natus, inde a púero, modestia et solitúdinis amóre, quanta futúrus esset sanctitate, præmonstrávit. Integra iuventúte, in agrórum cultura transácta, ut Deo libérius famularétur, mundo valedícere státuit; quaprópter, perámplo património abdicáto, inter fratres láicos órdis Minórum Capuccinórum adnumerári obtinuit. Statim ab emíssa professione, ad sanctæ Annæ convéntum civitátis Vetótingæ missus est, ibique ianitóris officio addíctus, quod ad óbitum usque máximo proximórum emoluménto in ómnibus tum animæ tum córporis necessitatibus exércuit. Erga Eucharístiam assíduo flagrávit devotiónis afféctu, et Deiparam Vírginem tamquam matrem quotidíanis obséquiiis cóluit. Migrávit ad Dóminum anno millésimo octingentésimo nonagésimo quarto, ætatis suæ septuagésimo sexto. – Te Deum.

## AD LAUDES

**V.** Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. p. Allelúia.) **R.** Et osténdit illi regnum Dei. (T. p. Allelúia.)

**Ad Bened. ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui. (T.p. Allelúia.)

## Oratio

**D**eus, qui misericórdiæ tuæ iánuam fidélibus patére voluísti: te súpplices exorámus; ut intercedénte beáto Conrado Confessóre tuo, temporália subsidia nobis tríbuas et æténa. Per Dóminum nostrum.

**Et fit commemoratio S. Anselmi:**

**Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui. (T. p. Allelúia.)

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. (T. p. Allelúia.)  
**R.** Stulam glóriæ índuit eum. (T. p. Allelúia.)

## Oratio

**D**eus, qui pópulo tuo æténae salútis beátum Anselmum mínistrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

## Die 23 Aprilis

## S. ADALBERTI

## Episcopi et Martyris

## III classis [73]

## AD MATUTINUM

**Bened.** Ad societátem.

## Lectio iii

**A**dalbértus Epíscopus Pragénsis, in Bohémia natus, ántea Woitéchus nominátus, ab epíscopo Magdeburgénsi Adalbéto, apud quem educátus est, álterum nomen accépit. Postquam Ditmáro in episcopátu succésit, illum sanctíssime in vitæ continéntia, pietáte pauperúmque cura gessit. Propter contumácis tamen pópuli grávia peccáta desérere illum bis coáctus, parátus ad martýrium, converténdo gentes, quod Románus Póntifex probáverat, institútum suum proséquitur, Hungáriam, Silésiam et Polóniam salutáribus præcéptis copiósè instruit. Deínde in Prússiam, idólis et dæmónibus serviéntem, proficiscitur, ubi apud Fisháusum sinus Venédici óppidum inter sacrificándum confóssus et in partes disséctus est. Corpus eius a príncipe Polóniæ póstea redéptum in Treménse monastérium prius, deínde Gneznam Metrópolim honorífice translátum est. – Te Deum.

(4) **Die 27 Aprilis S. Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct.**

AD LAUDES

**V.** Pretiósá in conspéctu Dómini, allelúia. **R.** Mors Sanctórum eius, allelúia.

**Ad Bened. ant.** Fíliæ Ierúsalem, \* veníte et vidéte Mártyres cum coronis, quibus coronávit eos Dóminus in die sollemnitátis et lætitiæ, allelúia, allelúia.

**Oratio**

**T**uam nobis indulgéntiam, quæsumus, Dómine, beátus Adalbértus Episcopus et Martyr implóret: ut et delicta nobis cleménte ignóscas; et beneficia desideráta concédas. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

**Et fit commemoratio S. Georgii:**

**Ant.** Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúia.

**V.** Sancti et iusti, in Dómino gaudéte, allelúia. **R.** Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

**Oratio**

Deus, qui nos beáti Geórgii Mártyris tui méritis et intercessióne lætificas: concéde propítius; ut qui tua per eum beneficia póscimus, dono tuæ grátiae consequámur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Die 27 aprilis

**S. PETRI CANISII  
Confessoris et Eccl. Doct.**

**II classis**

AD MATUTINUM

**In I Nocturno lectiones** Sapiéntiam, **de Comm. Doctorum.**

**In II Nocturno**

**Absol.** Ipsíus píetas.

**Bened.** Deus pater.

**Lectio iv**

**P**etrus Canísius in Níimegen eo ipso anno natus est, quo Luthérus apérte ab Ecclésia defécit et Ignátius de Loyóla ad præliánda prælia Dómini se convértit: Deo nimírum portendénte, quos ille posthac adversários, quem sacrae militiæ ducem esset habitúrus. Colóniæ Agrippinæ, ubi piíssime institúta vita stúdiis operabátur, perpétuæ castitátis voto se Deo obstrínxit. A beáto Petro Fabrico alléctus eóque moderatóre miram exercitiórum spirituálium vim expértus, Societáti Iesu, in Germánia primus, nomen dedit. Postquam est sacerdotáli auctus dignitáte, pro Coloniénsibus advérsus Antístitem in hæresim lapsum legatiónes obívit. Tum Augustáni cardinális theólogus concílio Tridentino intérfuit, ad quod íterum, post quíndecim annos, a pon-

tificio Legáto arcessítus, eius-  
démque Concílii felicem éxi-  
tum, strénue apud Cæsarem  
agens, egrégie iuuit.

**R.** Honéstum fecit illum Dó-  
minus, et custodívit eum ab  
inimícis, et a seductóribus  
tutávit illum: \* Et dedit illi  
claritátem ætérnam, allelú-  
ia. **V.** Iustum dedúxit Dómi-  
nus per vias rectas, et ostén-  
dit illi regnum Dei. **Et.**

**Bened.** Christus perpétuæ.

### Lectio v

**E**loquéntia, doctrína, hu-  
manitáte præclárus,  
Romæ quoque sancti Ignátii  
conversatióne ingénti fructu  
aliquámdiu usus, atque in  
Basílica Vaticána e penetrá-  
libus Cordis Iesu caritáte  
hausta, trigínta annórum la-  
bóribus plúrimum ad rem  
cathólicam apud Germános  
restituéndam cóntulit, tum,  
in Bavária præsertim et  
Aústria, contionádo et do-  
céndo, tum viros primários  
consíliis adiuvádo, tum  
omne hóminum genus salu-  
bérrimis institútis excolédo.  
A Summis Pontificibus plú-  
ries ad grávia religiónis ne-  
gótia adhíbitus, ea álacer  
semper et firmíssimus trac-  
távit. Primus moderándæ  
Superiórís Germániæ pro-  
vinciæ est præpósitus, eám-  
que diutúrna administratió-  
ne collégiis operariisque in-

strúxit. Collégium Germá-  
nicum in Urbe omni ope  
provéhere satégit; in acade-  
miis sacra humanáque stú-  
dia collápsa instaurávit; præ-  
ter duo contra novatóres co-  
piósa et egrégia volúmina,  
catechísmos édídít pro stu-  
déntium fideiúmque captu  
digéstos, trium sæculórum  
usu probatíssimos. Quámo-  
brem hæreticórum málleus  
et alter Germániæ apóstolus  
mérito est appellátus.

**R.** Amávit eum Dóminus, et  
ornávit eum: stolam glóriæ  
índuit eum, \* Et ad portas  
paradisi coronávit eum, alle-  
lúia. **V.** Induit eum Dóminus  
loricám fidei, et ornávit  
eum. **Et.**

**Bened.** Ignem sui amóris.

### Lectio vi

**T**ot curis disténtus, men-  
tem cum Deo coniunc-  
tíssimam gerébat, multas ét-  
iam cotídie horas orádo trí-  
buens, lácrimis sæpe perfú-  
sus et ánimo intérdum a sén-  
sibus abdúcto. Adeo de se de-  
misse sentiébat, ut se ómni-  
um mínimum et díceret et  
habéret. Obœdiéntiam in pri-  
mis cóluit, et, postquam po-  
testátem deposúerat, qui-  
búsvis superiórú vel inopi-  
nátis ingrátisque dispositi-  
onibus lætus obsequébatur.  
Córporis afflictatióni sem-  
per déditus, vigíliis et ieiúni-

(6) **Die 27 Aprilis S. Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct.**

is sæpe quasi armis utebátur ad difficultátes superándas. Demum Fribúrgi in Helvétia, ubi multa pro animárum salute septendécim últimis vitæ annis égerat, in ósculo Dómini quiévit die vigésimo primo decémbris anno milésimo quingentésimo nonagésimo séptimo, ætátis suæ séptimo supra septuagésimum. Pius Papa nonus eum cælitum Beatórum honóribus adáuxit, Pius autem undécimus Sanctórum número accénsuit, simúlque universális Ecclésiæ Doctórem declarávit.

**R.** Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: \* Quia te vidi iustum coram me ex ómnibus géntibus, allelúia.

**V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. **Quia. Glória Patri. Quia.**

In III Nocturno

**Absol.** A vínculis.

**Bened.** Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii  
secúndum Matthæum

**Lectio vii**      **Cap. 5, 13-19**

**I**n illo témpore: Dixit Iesus discíplis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti  
Petri Canisii Presbýteri

**Notæ in Evangelicas Lectiones,  
in Festo S. Martini Ep.,  
post initium**

**A**mábo et colam missos a Christo Apóstolos horúmque successóres in Evangélii sémine spargéndo séduolos et indeféssos propagándi verbi cooperatóres, qui iure testári possunt: Sic nos exístimet homo ut minístros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Vóluit enim Christus ut vigilantíssimus ac fidelíssimus paterfamílias per tales minístros ac legátos lucérnam evangélicam igne cælitus demisso accénderet, et accénsam non módio suppóni, sed super candelábrum constitúti, quæ suum splendórem longe latéque diffúnderet omnésque tum Iudæórum tum géntium vigétes ténébras et erróres profligáret.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni cordo suo laudávit Dóminum: \* Ipse intercédatur pro peccátis ómnium populórum, allelúia. **V.** Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. **Ipse** intercédatur pro peccátis ómnium populórum, allelúia.

**Bened.** Cuius festum.

Lectio viii

**E**tenim evangélico Doctóri sat non est, verbo lucrere pópulo et vocem in deserto clamántem præstare, multisque in pietáte iuvándis lingua óperam dare, ne alióquin, si verbi ministérium prætermittat, canis mutus non valens latrere a prophéta dicatur. Sed et ardere illum oportet, ut, ópere atque caritáte instrúctus, munus suum ornet evangélicum, Paulúmque ducem sequatur. Is quippe non conténtus Ephesiórum episcopo demandare: Præcipe hoc et doce: labóra sicut bonus miles Christi Iesu; constánter étiam apud amícos et inimícos evangelizávit, ac episcopis apud Ephesum collectis bona dixit consciéntia: Vos scitis, quómo modo nihil subtráxerim utilium, quóminus annuntiárem vobis, et docerem vos públice et per domos, testíficans Iudæis atque gentílibus in Deum pæniténtiam, et fidem in Dóminum nostrum Iesum Christum.

**R.** In médio Ecclésiæ apérui os eius, \* Et implévit eum Dóminus spírítu sapiéntiæ et intelléctus, allelúia. **V.** Iucunditátem et exultatióem thesaurizávit super eum. **Et.** Gloria Patri. **Et** implévit eum Dóminus spírítu sapiéntiæ et intelléctus, allelúia.

**Bened.** Ad societátem.

Lectio ix

**T**alem enim pastórem decet esse in Ecclésia, qui, more Pauli, ómnibus ómnia fiat, ut in illo repériat æger curatióem, mæstus lætitiám, despérans fidúciám, imperítus doctrínám, dúbius consílium, pænitens véniam atque soláciúm, et quidquid tandem ad salútem est cuique necessáriúm. Quocírca pulchre Christus, cum primários mundi Ecclesiæque doctóres constituere vellet, non sat hábuit discipulis dícere: Vos estis lux mundi: sed étiam illud subiécit: Non potest civitas abscondi supra montem pósita, neque accéndunt lucérnam et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut luceat ómnibus qui in domo sunt. Errant enim opinántes ecclesiástæ, quod múnere suo doctrínæ splendóre magis quam vitæ integritáte et caritátis ardóre possint satisfácere. Te Deum laudámus.

AD LAUDES

**V.** Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. **R.** Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

**Ad Bened. ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, intra in gáudium Dómini tui, allelúia.

(8) **Die 4 Maii S. Godehardi et Die 16 Maii S. Ioannes Nep.**

**Oratio**

**D**eus, qui ad tuendam catholicam fidem beatum Petrum Confessorem tuum virtute et doctrina roborasti: concede propitius; ut eius exemplis et monitis errantes ad salutem respiscant, et fideles in veritatis confessione perseverent. Per Dominum.

**AD VESPERAS**

**V.** Iustum, **ut supra.**

**Ad Magnif. ant.** O Doctor optime, \* Ecclesiae sanctae lumen, beate Petre, divinae legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei, alleluia.

**Completorium de dominica.**

Die 4 Maii

**S. GODEHARDI**

**Ep. et Conf., Commem.**

**Ant.** Euge, serve bone \* et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

**V.** Iustum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

**Oratio**

**D**eus, qui meritis sancti Godehardi Confessoris tui atque Pontificis semper es et ubique mirabilis: quaesumus clementiam tuam; ut, sicut ei eminentem gloriam

contulisti, sic ad consequendam gratiam tuam, eius nos facias precibus adiuvári. Per Dominum.

Die 16 Maii

**S. IOANNIS  
NEPOMUCENI**

**Martyris**

**III classis**

**AD MATUTINUM**

**Invit.** Exsultent in Domino Sancti, \*Alleluia.

**Ps. 94** Venite, exsultemus.

**Hymnus**

**I**n profunda noctis umbra  
Et gravi caligine  
Lustrat aedem flamma  
munda,  
Sic iubente Numine.

Nocte nascitur Ioannes,  
Astra caelo devolant:  
Nocte mergitur Ioannes,  
Astra funus apparant

Hinc cor eius igne flagrans  
Fortis urit caritas:  
Hinc ab eius ore manans  
Mira prodit suavitas.

Nunc amore cor bonorum  
Ad salutem pertrahit:  
Nunc timore cor malorum  
A gehenna retrahit.

Pauperes solatur aere,  
Derelictis subvenit:  
Non sinit iustos iacere,  
Damna famae praepedit.



Per Ioánnis sanctitátem,  
 O beáta Trínitas,  
 Méntibus da puritátem,  
 Corde regnet cáritas.  
 Amen.

**Ant.** Erit lumen Israel in igne,  
 et Sanctus eius in flamma,  
 allelúia.

**Psalmi unici Nocturni de Comuni unius Martyris.**

**V.** Sacraméntum regis abscondere bonum est, allelúia. **R.** Opera autem Dei reveláre honoríficum, allelúia.

### Lectio i

De libro Ecclesiástici

Cap. 21, 26-31

**S**tultus a fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hóminis auscultáre per óstium: et prudens gravábitur contumélia. Lábía imprudentium stulta narrábunt: verba autem prudentium statera ponderabúntur. In ore fatuórum cor illórum: et in corde sapiéntium os illórum. Dum maledícit ímpius diabolum, maledícit ipse ánimam suam. Susúrro coinquinábit ánimam suam, et in ómnibus odiétur: et qui cum eo mánsert, odiósus erit: táctus et sensátus honorábitur.

**R.** Metuébat rex Ioánnem, \* Sciens eum virum iustum et sanctum, allelúia. **V.** Et cu-

stodiébat eum, et audíto eo multa faciébat, et libénter eum audiébat. **Sciens.**

### Lectio ii

Cap. 28, 21-30

**F**lagélii plaga livórem facit: plaga autem linguæ comínuet ossa. Multi cecidérunt in ore gládii, sed non sic quasi qui interiérunt per linguam suam. Beátus qui tectus est a lingua nequam, qui in iracúndiam illíus non transívit, et qui non attráxit iugum illíus, et in vínculis eius non est ligátus: iugum enim illíus, iugum férreum est: et vínculum illíus, vínculum reum est. Mors illíus, mors nequíssima: et útilis pótius inférnus quam illa. Perseverántia illíus non permanébit, sed obtinébit vias iniustórum: et in flamma sua non combúret iustos. Qui relínquunt Deum, ícident in illam, et exardébit in illis, et non exstinguétur, et immittétur in illos quasi leo, et quasi pardus lædet illos. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audíre, et ori tuo fácito óstia, et seras. Aurum tuum et argéntum tuum confla, et verbis tuis fácito statéram, et frenos ori tuo rectos: et atténde, ne forte labáris in lingua, et cadas in conspéctu inimicórum insidiántium tibi, et sit casus tuus insanábilis in mortem.

**R.** Sepívi aures meas spínis,  
\* Et ori meo feci óstia et  
seras, allelúia. **V.** Beátus, qui  
lingua sua non est lapsus, et  
qui non servívit indignis se.  
**Et. Glória Patri. Et.**

### Lectio iii

**I**oánnes Nepomúci, Bohé-  
miæ óppido, sáculo déci-  
mo quarto ortus, Pragæ sa-  
cerdótio initiátus et inter ca-  
nónicos metropolitánæ ec-  
clésiæ Pragénsis cooptátus,  
mox sibi demandátam Evan-  
gélii coram rege Wencesláo  
quarto prædicánda provinci-  
am magno succéssu accépit,  
Ioáanna regína illum consci-  
éntiæ sibi moderatórem ad-  
scívit. Cum autem rex in ví-  
tia præceps abriperétur, con-  
téndere ausus est, ut in sa-  
cramentáli iudício sacerdóti  
crédita regínæ arcána sibi a  
Ioáanne panderéntur. At Dei  
miníster blandítiis, tormén-  
tis et cárcere tentátus, nefá-  
rii regis império in Moldá-  
vam flumen Pragam intérf-  
fluens noctu deiéctus, illú-  
strem martýrii coronam est  
consecúsus. Corpus Mártý-  
ris postrídie e flúmine elá-  
tum a canónicis in metropo-  
litána ecclésia sepúltum est.  
Benedíctus décimus tértius  
Póntifex Máximus primum  
hunc sacramentális sigílli as-  
sertórem sanctorum Mártý-  
rum catálogo adscrípsit.  
Te Deum laudámus.

### AD LAUDES

**Ant. 1** Interrogábat eum \*  
rex multis sermónibus: at ip-  
se nihil illi respondébat, alle-  
lúia.

**Psalmi de Dominica 1 loco.**

**Ant. 2** Rex dixit: \* Ne ab-  
scóndas a me verbum, quod  
te intérrigo. Dixi: Secrétum  
meum mihi, secrétum me-  
um mihi, allelúia.

**Ant. 3** Affirmábat rex, \* se  
dívitem et beátum factúrum.  
Non obéodio præcépto regis,  
sed præcépto legis, quæ data  
est nobis, allelúia.

**Ant. 4** Tunc rex, accénsus ira,  
\* in hunc super omnes cru-  
délius desæviit, allelúia.

**Ant. 5** Beátus \* qui lingua  
sua non est lapsus, et qui non  
servívit indignis se, allelúia.

**Capit. Eccli. 21, 28-29**

**L**ábia imprudentium stul-  
ta narrábunt, verba au-  
tem prudentium statéra  
ponderabúntur. In ore fatuó-  
rum cor illórum, et in corde  
sapiéntium os illórum.

### Hymnus

**V**ix in sepúlcro cónditur,  
Signis Ioánnes próditur,  
Per crátium repágula  
Intérmicant mirácula.

**Hic** eius hostes íllico  
Pudóre mæsti públíco,  
Ultríce dextra Núminis,  
Pœnas repéndunt críminis.

**H**ic damna rerum fléntibus  
Famæve conqueréntibus,  
Abducta res revértitur,  
Abláta fama rédditur.

**H**ic corpus ægritúdines  
Tempus vicissitúdines,  
Perículum securitas,  
Mortem fugit mortálitas.

**H**ic viva lingua Mártyris  
Sed muta voce sánguinis  
Clamans, ut Abel, improbat,  
Regique crimen éxprobrat.

**U**níus, o, da, Trínitas,  
Triúmque simplex Unitas,  
Ut, qui Ioánni súpplicant,  
Id impetrent, quod flágitant.  
Amen.

**V.** Pósui ori meo custódiam,  
allelúia. **R.** Cum consísteret  
peccátor advérsus me, alle-  
lúia.

**Ad Bened. ant.** Quicúmque  
glorificáverit me, glorificábo  
eum: qui autem contémnunt  
me, erunt ignóbiles, allelúia.

### Oratio

**D**eus, qui ob invíctum be-  
áti Ioánnis sacramen-  
tále siléntium nova Ecclési-  
am tuam martýrii coróna  
decorásti: da; ut, eius exem-  
plo et intercessióne, ori nos-  
tro custódiam ponéntes, beá-  
tis, qui lingua non sunt lapsi,  
annumerémur. Per Dómi-  
num nostrum Iesum Chri-  
stum Fílium tuum, qui te-  
cum vivit et regnat.

**Et fit Commemoratio S. Ubaldi:**

**Ant.** Euge, serve bone et fidé-  
lis, quia in pauca fuisti fidé-  
lis, supra multa te constitu-  
am, dicit Dóminus, allelúia.

**V.** Iustum dedúxit Dóminus  
per vias rectas, allelúia. **R.** Et  
osténdit illi regnum Dei, al-  
lelúia.

### Oratio

**A**uxílium tuum nobis, Dó-  
mine, quæsumus, placá-  
tus impénde: et intercessió-  
ne beáti Ubáldi Confessóris  
tui atque Pontificis, contra  
omnes diáboli nequítias dex-  
teram super nos tuæ propiti-  
atiónis exténde. Per Dñm.

**Ad Horas Antiphonæ et Psalmi de  
Feria.**

### AD TERTIAM

**Capit. Eccli. 21, 28-29**

**L**ábia imprudentium stulta  
narrábunt, verba autem  
prudéntium statéra ponder-  
abúntur. In ore fatuórum cor  
illórum, et in corde sapiénti-  
um os illórum.

**R.br.** Sacraméntum regis ab-  
scóndere bonum est. \* Alle-  
lúia, allelúia. **Sacraméntum.**  
**V.** Opera autem Dei reveláre  
honoríficum. **Allelúia. Glória**  
**Patri. Sacraméntum.**

**V.** Pone, Dómine, custódiam  
ori meo, allelúia. **R.** Et ósti-  
um circumstántiæ lábiis me-  
is, allelúia.

(12) **Die 16 Maii S. Ioannis Nepomuceni Mart.**

AD SEXTAM

**Capit. Eccli. 28, 28**

**S**epi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire et ori tuo fácito óstia et seras.

**R. br.** Pone, Dómine, custódiam ori meo, \* Allelúia, allelúia. **Pone. V.** Et óstium circumstántiæ lábiis meis. Allelúia, allelúia. **Glória Patri. Pone.**

**V.** Dixi: Custódiam vias meas, allelúia. **R.** Ut non delinquam in lingua mea, allelúia.

AD NONAM

**Capit. Eccli. 28, 29-30**

**A**urum tuum et argéntum tuum confla et verbis tuis fácito statéram et frenos ori tuo rectos et atténde, ne forte labáris in lingua.

**R. br.** Dixi: Custódiam vias meas, \* Allelúia, allelúia. **Dixi. V.** Ut non delinquam in lingua mea. Allelúia, allelúia. **Glória Patri. Dixi.**

**V.** Pósuí ori meo custódiam, allelúia. **R.** Cum consisteret peccátor advérsus me, allelúia.

AD VESPERAS

**Antiphonæ de Laudibus, Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum, sed loco ultimi Psalmus 115 Crédidi.**

**Capit. Eccli. 21, 28-29**

**L**ábia imprudentium stulta narrábunt, verba autem prudentium statéra ponderabúntur. In ore fatuórum cor illórum, et in corde sapiéntium os illórum.

**Hymnus**

**I**nvíctus heros Núminis, Mergéndus unda flúminis Stat fortis in siléntio, Dum fit sigílli méntio.

**Hinc** rex minátur fúnera, Hinc tortor infert vúlnera, Manus ligántur fúnibus, Artus cremántur ígnibus.

**Sed** hæc Ioánnes déspicit, Nec regis iram réspicit: Secréta non vult pándere, Horret sigíllum frángere.

**Stat** mutus agnus ínnocens, Nil de tegédis próferens: Stat; dumque rex nil élicit, E ponte iustum déiicit.

**Præceps** ab alto stérnitur, Undis profúndis mérgitur, Mersum sed applaudéntibus Undæ salútant ígnibus.

**Stellæ** natant in flúmine, Illi paréntant lúmine: Docétque cæli cláritas, Quæ sit Ioánnis cáritas.

**Da,** sempitérna Trínitas, Ut in bono sit fírmitas, Aut lacrimárum flúmina Mergant cadéntum crímína. Amen.

**V.** Pósuí ori meo custódiám, allelúia. **R.** Cum consísteret peccátor advérsus me, allelúia.

**Ad Magnif. ant.** In conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies princípum mirabúntur me: tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respicient, allelúia.

Die 5 Iunii

S. BONIFATII

Episcopi et Martyris

II classis

Omnia ut in Breviario et de Comuni unius Martyris, præter sequentia.

AD MATUTINUM

In I Nocturno Lectiones de Actibus Apostolorum A Miléto, de eodem Comuni, cum suis responsoriis.

In tempore paschali omnia de Comuni unius aut plurimorum Martyrum tempore paschali, præter sequentia:

In II Nocturno

Lectio iv

**B**onifátius, ántea Winfrí-dus appellátus, apud Anglos natus exeúnte sáeculo séptimo, et ab ipsa infántia mundum aversátus, vitam monásticam in votis hábuit. Cum eius pater ánimus sée-

culi illécebris permutáre frustra tentásset, monastérium ingréditur, et sub beáti Wolphárdi disciplína ómnium virtútum ac scientiárum génere imbúitur. Annum agens trigésimum sacerdotio insignitur, ac verbi divíni prædicátor assíduus, magno animárum lucro hoc in múnere versátur. Attamen regnum Christi adaugére desiderans, contínuo flebat ingéntem multitudínem barbarórum, qui ignorántiæ ténebris immérsi dáemoni famulabántur. Qui quidem animárum zelus cum in dies inexstinguíbili ardóre accrésce-ret, divíno múnere per lácrimas et oratiónes exploráto, facultátem a monastérii præpósito obtínuit ad Germánicas oras proficiscéndi.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam. **V.** Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. **Et.**

Tempore Paschali

**R.** Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine \* Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. **V.** Lætítia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exultatiónem obtinébunt. **Et.**

## Lectio v

**E**x Anglia duóbus cum sóciis navem solvens, Doréstádium in Frísiaë óppidum venit. Cum autem bellum gravíssimum inter Frisónum regem Radbódum, et Cárolum Martéllum exarsisset, sine fructu Evangélium prædicávit: quaprópter, in Angliam revérsus, ad suum redívit monastérium, cui invítus præficitur: post elápsum biénnium ex consénsu episcopi Vintoniénsis munus abdicávit, et Romam profécus est, ut apostólica auctoritáte ad gentílium conversiónem delegarétur. Cum ad Urbem pervénisset, a Gregório secúndo benigne excipitur, pro Winfrido Bonifátius a Pontífice nomináitur. In Germániam diréctus, Thuringiæ Saxoniæque pópulis Christum annuntiávit. Cum intérea Radbódus Frísiaë rex ac infestíssimus christiáni nóminis hostis occubuisset, Bonifátius ad Frisónes redit, ubi sancti Willibrórdi sócius per triénnium tanto cum fructu Evangélium prædicávit, ut destrúctis idolórum simulácris, innúmeræ vero Deo ecclésiæ excitaréntur.

**R.** Desidérium ánimæ eius tribuísti ei, Dómine, \* Et voluntáte labiórum eius non fraudásti eum. **V.** Quóniam prævenísti eum in benedictióni-

bus dulcédinis: posuísti in cápite eius coronam de lápide pretióso. **Et** voluntáte labiórum eius non fraudásti eum.

## Tempore Paschali

**R.** In servis suis, allelúia, \* Consolábitur Deus, allelúia. **V.** Iudcábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. Consolábitur Deus, allelúia.

## Lectio vi

**A** sancto Willibrórdi ad episcopále munus expetítus, illud detrectávit ut prómptius infidélium salúti instáret. In Germániam profécus, plura Hassórum mília a dæmonis superstitióne avocávit. A Gregório Pontífice Romam evocátus, post insignem fidei professionem episcopus consecrátur. Exínde ad Germános redux, Hásiam, et Thuringiam ab idolatriæ reliquiis pénitus expurgávit. Tanta propter mérita Bonifátius a Gregório tertio ad dignitatem archiepiscopálem evéhitur, et tertio Romam profécus a Summo Pontífice Sedis apostolicæ legátus constitúitur, qua insignitus auctoritáte quátuor episcopátus instituit, et várias sýnodos celebrávit, inter quas concílium Leptinénse memorábile est apud Belgas in Cameracénsi diocési celebrátum, quo quidem ténpore ad fidem in Bélgio

adaugendam egrégie contulit. A Zacharía Papa creátus Moguntinus archiepiscopus, ipso Pontífice iubente Pipinum in regem Francorum unxit. Post mortem sancti Willibrórdi Ultraiectensem ecclesiam gubernandam suscepit, primo per Eobánum, deinde per seipsum, dum ab Ecclesia Moguntina absolutus Ultraiecti resedit. Frisónibus ad idololatriam relápsis, Evangelium prædicare rursus aggreditur, cumque officio pastorali occuparetur, a bárbaris et impiis hominibus iuxta Bornam flúvium cum Eobáno coepiscopo, multisque aliis cruénta cæde peremptus martyrii palma condecoratur. Corpus sancti Bonifátii, Mogúntiam translátum, et, ut ipse vivens petierat, in Fuldénsi monasterio, quod extruxerat, recónditum fuit, ubi multis miraculis incláruit. Pius autem nomen Póntifex Máximus, eius Officium et Missam ad universam Ecclesiam extendit.

**R.** Stolam iucunditátis induit eum Dóminus: \* Et coronam pulchritúdinis pósuit super caput eius. **V.** Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. **Et** coronam pulchritúdinis pósuit super caput eius. **Gloria Patri. Et.**

### Tempore Paschali

**R.** Fíliæ Ierúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus \* In die solemnítatis et lætitiæ, allelúia. **V.** Quóniam confortávit seras portarum tuárum, benedíxit filios tuos in te. **In. Glória Patri. In.**

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii  
secúndum Matthæum.

Lectio vii      Cap. 5, 1-12

**I**n illo tẽpore: Videns Iesus turbas, ascendit in montem et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. Et reliqua.

Homilia sancti  
Augustini Episcopi.

**Lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 2. et 3.**

**B**eati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Quam ergo stulti sunt, qui Deum istis exterioribus oculis quærunt, cum corde videatur, sicut alibi scriptum est: Et in simplicitate cordis quærite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemadmodum lumen hoc vidéri non potest, nisi oculis mundis: ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud, quo vidéri potest. Beati pacifici: quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. In pace

perfectio est, ubi nihil repugnat, et ideo filii Dei pacifici, quoniam nihil in his resistit Deo, et utique filii similitudinem patris habere debent.

**R.** Coróna áurea super caput eius, \* Expressa signo sanctitatis, glória honoris, et opus fortitudinis. **V.** Quoniam pravenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. **Expressa.**

#### Tempore Paschali

**R.** Ego sum vitis vera, et vos palmites: \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia, allelúia. **V.** Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. **Qui.**

#### Lectio viii

**P**acifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, et subiicientes rationi, id est menti et spiritui, carnalésque concupiscencias habentes edómitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordinata omnia, ut id quod est in homine præcipuum et excellens, hoc imperet ceteris non reluctántibus, quæ sunt nobis bestiisque commúnia: atque idípsum quod excéllit in homine, id est mens et ratio, subiiciatur potióri, quod est ipsa véritas, unigénitus Fílius Dei. Neque enim imperá-

re inferioribus potest, nisi superiori se ipse subiiciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra homínibus bonæ voluntatis: hæc vita consummáti perfectique sapiéntis.

**R.** Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: \* Qui minas iúdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cælestia regna pervénit. **V.** Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Qui. Glória Patri. Qui.**

#### Tempore Paschali

**R.** Cándidi facti sunt Nazaræi eius, allelúia; splendórem Deo dedérunt, allelúia: \* Et sicut lac coagulati sunt, allelúia, allelúia. **V.** Candidiôres nive, nitidiôres lacte, rubicundiôres ébore antiquo, sapphíro pulchriôres. **Et. Glória Patri. Et.**

#### Lectio v

**D**e huiúsmodi regno pacatíssimo et ordinatíssimo missus est foras princeps huius sæculi, qui perversis inordinatísque dominátur. Hac pace intrínsecus constitúta atque firmáta, quas-cúmque persecutiónes ille, qui foras missus est, forínsecus concitáverit, auget glóriam quæ secúndum Deum est; non áliquid in illo ædifi-



cio labefactans, sed deficientibus machinis suis innotescere faciens quanta firmitas intus extructa sit. Ideo sequitur: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum caelorum.

Te Deum laudamus.

*Ad Laudes et alias Horas Oratio ut in Breviario.*

Die 16 Iunii

S. BENNONIS

*Episcopi et Confessoris  
III classis*

AD MATUTINUM

*Lectio iii*

**B**enno, Hildesia oriundus, monasterio sancti Michaelis erudiendus traditur. Sumpto habitu monachorum, in eodem cenobio tam sancte vixit, ut sollicitudinis abbatiialis sarcinam subire cogeretur. Auctoritate Pontificis ab ordine monastico ad canonicum translatus Henricus Imperator tertius novellae congregationi Canonico- rum in ecclesia Goslariensi magistrum dedit. Post annos decem et septem ecclesiae Misnensi Bennonem praefectum, Henricus Imperator quartus insontem capit, omnia illius ecclesiae bona diripit, et captum carcera- ribus et exsilio durissimo damnat.

Revocatus ab exsilio concilio Romano contra Imperatorem interfuit. Reversus ecclesiae instaurandae moribusque reformandis strenuam operam impendit; Slavos ab errore idolatriae repurgandis, praedicatione et miraculis totus incumbit. Obdormivit in Domino anno millesimo centesimo sexto, ab Hadriano sexto in Sanctorum numerum relatus. – Te Deum.

AD LAUDES

*V.* Iustum deduxit Dominus per vias rectas. *R.* Et ostendit illi regnum Dei.

*Ad Bened. ant.* Euge, serve bone \* et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

*Oratio*

**D**eus, qui nos beati Bennonis Pontificis confessione gloriosa circumdas et protegis: da nobis, et eius imitatione proficere, et intercessionem gaudere. Per Dominum nostrum.

Die 29 Iunii

SS. PETRI (Patroni principalis archdioecesis)

ET PAULI

*Apostolorum*

*I classis*

*Omnia ut in Breviario.*

Die 3 Iulii

S. OTTONIS

**Episcopi et Confessoris  
Pomeranorum Apostoli et  
Patroni æqueprincipalis  
archidiœcesis**

I classis

**Omnia de Communi confessoris  
Pontificis, præter ea, quæ hic ha-  
bentur propria.**

AD IVESPERAS

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **A.** Stulam glóriæ índuit eum.

**Ad Magnif. ant.** Bonus pastor \* in pópulo et cælestia cómmoda et terréna stipéndia suis præbuit óvibus.

Oratio

**D**eus, cuius virtúte beátus Otto Conféssor tuus et Póntifex in fide instrúxit et solidávit Pomeranórum gentem: concéde propítius; ut, qui doctor factus est infidélium populórum, pro fidélium tuórum cœtu pius intercésor exsístat. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM

In II Nocturno

Lectio iv

**P**omeranórum Apóstolus Otto, in Suévia natus, duxit oríginem ex familia in-

génua, claritáte quidem nóbili, in ópibus autem mediócri. Percúrsis litterárum stúdiis in Polóniam péregre vādens, lingua illíus terræ apprehénsa, scholam puerórum rexit. Ascítus est in aulam Polóniæ ducis, qui eum legátum misit ad Henricum imperatórem huius nóminis quartum, cuius grátiam ita sibi comparávit, ut ad regni cancellárii munus vocarétur. Rupérto deínde Bambergénsi Epíscopo defúncto, ab imperatóre ecclésiæ viduátæ præficitur, invítus quidem, propter contentiónem illam, quæ erat tunc témporis inter regnum, et sacerdotium, investitúræ causa. Sine mora itaque ad Paschálem Summum Pontíficem líteras misit, a quo Romam evocátus, pedum et ánulum ab imperatóre accéptos, ad Pontificis pedes depósuit et cúriæ valedíxit. Sed revocátus mandáto Pontificis, Anágniæ in ipsa Pentecóstes die Epíscopus consecrátur. In episcopátu præsertim exstruéndis et dotándis ecclésiis ac monastériis cláruit.

**R.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Ma-**nus.

## Lectio v

**S**ed, maióra de eo disponente providéntia divína, factum est, ut Bolesláus, Polóniæ dux, Bambergensem Episcopum invitáverit, ut genti Pomeranórum, in ténebris adhuc et umbra mortis sedénti, lumen veritátis osténdere vellet. Qui, accepta Apostólicæ Sedis licéntia, huic gravíssimo óneri húmeros devóte applicuit. Et quia fama ferénte audierat, Pomerános opuléntia suæ terræ fretos Bernárdum Episcopum prædicántem, ob paupertátem suam despéctum eiecisse, Otto studióse procurávit, ut comitátu spléndido instrúctus iter aggredéretur, ut novéllæ plantatióni sua pótius conférre, quam illórum bona appétere dignoscerétur. Per Bohémiam, Silésiam, Polóniam proféctus et a Pomeranórum duce honorífice recéptus, primo ad castrum Piríssæ, deínde Camínam véniens, cautéla prudentiæ et sermónis lenitáte conspicuus, ingénti fructu pópulum catechízat, in mystériis fidei ínstruit, præsertim de septem sacraméntis dilúcidè prædicans, plus viginti mília paganórum baptízat. In Iulínam, civitátem magnam et fortem, navígio vectus et noctu ducis palátium ingrèssus, a furénte pópulo ad necem quæritur; ma-

ne vero primátes gentis Ottoni promisérunt, se factúros quidquid fácerent incolæ Stetínæ urbis, quam antiquíssimam et nobilíssimam esse dicébant. Quibus audítis Episcopus illuc adíre festínat et Stetinénsium ánimos ita lenívit, ut idóla confríngi pateréntur. Convérsis étiam Colobérge et Belgárda óppidis, et templis christiánis ibi dicátis, post novem ménsium apostólicos labóres ad suos revértitur.

**R.** Pósui adiutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus enim mea auxiliábitur ei.**

## Lectio vi

**T**riénno deínde in diocési sua Bambergénsi morátus, amóre novéllæ colóniæ suæ flagrans, illam revísere aggreditur; per Saxóniam hac vice iter dispósuit, Norbértum, Magdeburgensem Metropolitam salutávit, et civitátis Timínæ ducem et pópulum convértit. Hologástam intromíssus cum sóciis, fana et delúbra paganórum destrúxit; ad Verános autem in Rúgia ínsula habitántes, gentem ferócem ac bárbaram, pérgere a suis prohibítus, navem ingrèssus Stetí-

nam iterum appulit, cuius urbis cives ab iurata fide defecisse cum animi dolore compérerat. Vocati ad collóquium, Ottónis lenitate devicti resipiscunt. Interea vero rex Lothárius ceterique principes Germániæ diuturnam beati viri ægre ferentes absentiam, petendo mandant, ut Bambergensem ecclesiam desiderato suo reditu recrearet. Itaque calamitatibus et moléstis longæ peregrinationis fórtiter toleratis, per decénnum adhuc in pátria in vinea Dómini excolenda strénue laborávit. Hora prima diéi géntium Apóstolo, sancto Paulo dicati tandem cælo réddidit animam, anno millésimo centésimo trigésimo nono; venerabile corpus vero in montem sancti Michaélis defertur ibique in ecclesia, quam ipse a fundamentis reædificáverat, requiescit.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina eius repléta est: \* Ipse intercédât pro peccatis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. **I**psé. **G**lória Patri, et Fílio, \* et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc et semper, \* et in sæcula sæculórum. Amen. **I**psé .

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii  
secúndum Lucam

#### Lectio vii Cap. 11, 33-36

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nemo lucernam accéndit et in abscondito ponit neque sub módio, sed supra candelábrum, ut, qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et reliqua.

Homilia sancti  
Ambrósii Episcopi

#### Lib. 7 Comm. in Luc. c. 11, post initium

**Q**uia in superioribus Ecclesiam synagógæ prætulit, hortátur nos, ut fidem potius nostram ad Ecclesiam transferámus. Lucerna enim fides est, iuxta quod scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum, Dómine. Verbum enim Dei fides nostra est: Verbum Dei lux est. Lucerna est fides. Erat lux vera quæ illúminat omnem hóminem venientem in hunc mundum. Lucerna autem lucere non potest, nisi aliunde lumen acceperit.

**R.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **E**t ad portas paradisi coronávit eum.

## Lectio viii

**H**æc est lucerna, quæ accenditur, virtus scilicet nostræ mentis et sensus, ut drachma illa possit, quæ perierat, reperiri. Nemo ergo fidem sub lege constituat. Lex enim intra mensuram est, ultra mensuram grátia: lex obumbrat, grátia clarificat. Et ideo nemo fidem suam intra mensuram legis inclúdat, sed ad Ecclésiám cónferat, in qua septiformis Spíritus relúcet grátia, quam princeps ille sacerdotum fulgóre supérnæ divinitatis illúminat, ne eam legis umbra restinguat.

**R.** Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: \* Et vos similes hominibus expectantibus dñm suum, quando revertatur a nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis quæ hora Dñs vester venturus sit. **Et. Glória Patri. Et.**

## Lectio ix

**D**énique lucerna illa, quam matutinis vespertinisque temporibus ritu veteri Iudæorum princeps sacerdotum solébat accendere, velut sub modio sita legis evanuit; et civitas illa Ierúsalem, quæ in terris est, quæ occidit prophétas, quasi in conválle fletus posita delitescit: illa autem Ierúsalem: quæ in cælo

est, in qua militat fides nostra, in illo altissimo ómnium locata monte, hoc est Christo, non potest ténébris et ruínis huius mundi abscondi, sed fulgens candóre solis ætérni, luce nos grátia spiritalis illúminat.

Te Deum laudámus.

## AD LAUDES

**V.** Iustum deduxit Dñs per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

**Ad Bened. ant.** Flagrans divini amoris igne, \* vir venerabilis verbo prædicationis nostræ genti infudit lumen fidei.

## Oratio

**D**eus, cuius virtute beatus Otto Confessor tuus et Pontifex in fide instruxit et solidavit Pomeranorum gentem: concede propitius; ut, qui doctor factus est infidelium populorum, pro fidelium tuorum cætu pius intercessor existat. Per Dñm.

## AD II VESPERAS

**V.** Iustum deduxit Dñs per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

**Ad Magnif. ant.** Glória Sanctorum Christe, \* cuius grátia ánima præsulis nostri gaudet ætérna réquie, ánnue votis supplicum venerantium pastorem.

(22) **Die 4 Iulii Commeratio Omnium Sanct. Summ. Pontif.**

Die 4 Iulii

COMMEMORATIO  
OMNIUM SANCTORUM  
SUMMORUM  
PONTIFICUM

III classis

AD MATUTINUM

**Invit.** Christum Príncipem  
Pastórum \* Venite, adoré-  
mus.

**Ps. 94** Venite, exsultémus.

Hymnus

**A**térna Christi múnera,  
Et glóriam Pontificum,  
Laudes canéntes débitas,  
Lætis canámus méntibus.

Ecclesiárum príncipes,  
Belli triumpháles duces,  
Caeléstis aulæ mílites,  
Et vera mundi lúmína.

Devóta sanctórum fides,  
Invícta spes credéntium,  
Perféccta Christi caritas,  
Mundi triúmphant príncipem.

In his Patérna glória,  
In his volúntas Spíritus,  
Exsúltat in his Fílius,  
Cælum replétur gáudio.

Te nunc, Redémptor, quáesu-  
mus,  
Ut ipsórum consórtio  
Iungas precántes sérvulos,  
In sempitérna sácula.  
Amen.

**Lectiones i et ii de Scriptura oc-  
currenti cum sequentibus respon-  
soriis:**

**R. I** Ecce ego mitto vos sicut  
oves in médio lupórum, dicit  
Dóminus: \* Estóte ergo pru-  
déntes sicut serpéntes, et  
símplices sicut colúmbæ. **V.**  
Dum lucem habétis, crédite  
in lucem, ut filii lucis sitis.  
Estóte.

**R. II** Dum stetéritis ante re-  
ges et præsides, nolite cogitá-  
re quómo modo aut quid loquá-  
mini: \* Dábitur enim vobis  
in illa hora, quid loquámini.  
**V.** Non enim vos estis, qui ló-  
quimini: sed Spíritus Patris  
vestri, qui lóquitur in vobis.  
**Dábitur. Glória Patri. Dábi-  
tur.**

Lectio iii

Sermo sancti  
Bernárdi Abbátis

In Festo S. Malachiae, Ep.

**C**ongratulémur, fratres,  
congratulémur, ut dig-  
num est, Pontificibus no-  
stris: quia et pium est de-  
fúntos plángere, et pium  
magis congaudére vivénti-  
bus. Numquid non vivunt?  
Et beáte. Nímírum visi sunt  
óculis insipiéntium mori, illi  
autem sunt in pace. Dénique  
iam concíves Sanctórum et  
doméstici Dei psallunt pári-  
ter, et grátias agunt, dicén-  
tes: Transívimus per ignem  
et aquam, et induxísti nos in  
refrigeríum. Transiérunt pla-  
ne viríliter, et feliciter per-

transiérunt. Transiérunt per ignem et aquam, quos neque trístitia frángere, nec detínere móllia potuérunt. Lætémur, quod Pontífices nostri ascendérunt ad cives suos, pro filiis captivitátis legatióne fungéntes, corda nobis conciliántes Beatórum, vota illis intimántes miserórum. Lætémur, inquam, et exultémus, quia cæléstis illa cúria ex nobis habet, quibus sit cura nostri, qui suis nos prótegant méritis, quos informavérunt exémplis, miracúlis confirmavérunt. Sancti Pontífices, qui in spírítu humilitátis hóstias pacíficas cælis frequénter invéxerant, per semetípsos introivérunt ad altáre Dei, ipsi hóstiæ et sacerdótes. Benedictus Dóminus Deus, qui tantórum Pontíficum ministério visitávit plebem suam: et nunc assúptis iis in sanctam civitátem, tantæ recordatióne suavitátis nostram non désinit consolári captivitátem. Exsúltent in Dómino eórum spírítus, quod leváti póndere corpóreæ molis, nulla iam fæculénta vel terréna matéria prægravántur, quo minus tota alacritáte ac vivacitáte corpóream omnem et incorpóream transéuntes creatúram, pergant toti in Deum, et adhæréntes illi, unus sint cum eo spírítus in ætérnum. Domum istam decet sancti-

túdo, in qua tantæ frequéntátur memória sanctitátis. Te Deum laudamus.

#### AD LAUDES

**Ant. 1** Sancti tui, \* Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

**Psalmi de Dominica.**

**Ant. 2** In cæléstibus regnis \* sanctórum habitátió est, et in ætérnum réquies eórum.

**Ant. 3** Córpora sanctórum \* in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

**Ant. 4** Spírítus et ánimæ \* iustórum, hymnum dícite Deo nostro, allelúia.

**Ant. 5** Fulgébunt iusti \* sicut sol in conspéctu Dei.

**Capit. Hebr. 13, 7**

**F**ratres: Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

#### Hymnus

**R**ex glorióse Præsulum, Coróna confiténtium, Qui respuéntes térrea Perdúcis ad cæléstia.

**A**urem benígnam prótinus Appóne nostris vóci bus: Trophæa sacra pángimus, Ignósce quod delíquimus.

(24) **Die 4 Iulii Commeratio Omnium Sanct. Summ. Pontif.**

**Tu** vincis in Martýribus,  
Parcéndo Confessóribus:  
Tu vince nostra crímina,  
Donádo indulgéntiam.

**Deo Patri sit glória,**  
Eiúsque soli Filio,  
Cum Spíritu Paráclito,  
Et nunc, et in perpétuum.  
Amen.

**V.** Iustos dedúxit Dóminus  
per vias rectas. **R.** Et ostén-  
dit illis regnum Dei.

**Ad Bened. ant.** Vos estis lux  
mundi: non potest civitas ab-  
scóndi supra montem pósita;  
neque accéndunt lucérnam,  
et ponunt eam sub módio,  
sed super candelábrum, ut  
lúceat ómnibus, qui in domo  
sunt.

**Oratio**

**D**eus, qui pópulis tuis in-  
dulgéntia cónsulis et  
amóre domináris: da spíri-  
tum sapiéntiæ, suffragántibus  
méritis Antístitum Ecclésiæ  
tuæ, quibus dedísti régimen  
disciplínæ; ut de proféctu  
sanctárum óvium, fiant gáu-  
dia æténa pastórum. Per  
Dóminum nostrum Iesum  
Christum Filium tuum, qui  
tecum vivit et regnat.

**Et fit Commemoratio S. Udalrici:**

**Ant.** Euge, serve bone et fi-  
délis, quia in pauca fuísti fi-  
délis, supra multa te constí-  
tuam, dicit Dóminus.

**V.** Amávit eum Dóminus, et  
ornávit eum. **R.** Stolam gló-  
riæ induit eum.

**Oratio**

Deus, qui cónspicis, quia ex  
nulla nostra virtúte subsísti-  
mus: concéde propítius; ut,  
intercessióne beáti Udalrici  
Confessóris tui atque Pontí-  
ficis, contra ómnia advérsa  
muniámur. Per Dóminum.

**Ad Horas Antiphonæ et Psalmi de  
Feria.**

**AD TERTIAM**

**Capit.** **Hebr. 13, 7**

**F**ratres: Mementóte præ-  
positórum vestrórum,  
qui vobis locúti sunt verbum  
Dei: quorum intuéntes éxi-  
tum conversatiónis, imitá-  
mini fidem.

**R. br.** Lætámini in Dómino,  
\* Et exsultáte, iusti. **Lætámi-  
ni.** **V.** Et gloriámini, omnes  
recti corde. **Et. Glória Patri.**  
**Lætámini.**

**V.** Exsúltent iusti in conspéc-  
tu Dei. **R.** Et delecténtur in  
lætítia.

**AD SEXTAM**

**Capit.** **Act. 20, 28**

**A**ttendite vobis, et univér-  
so gregi, in quo vos Spí-  
ritus Sanctus pósuit epíscopos  
régere Ecclésiám Dei,  
quam acquisívit ságuine  
suo.



**R. br.** Exsúltent iusti \* In conspéctu Dei. **Exsúltent. V.** Et delecténtur in lætítia. In conspéctu Dei. **Glória Patri.** Exsúltent.

**V.** Iusti autem in perpétuum vivent. **R.** Et apud Dóminum est merces eórum.

## AD NONAM

**Capit. Hebr. 13, 17**

**O**bcedíte præpósitis vestris, et subiaccéte eis: ipsi enim pervigilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

**R. br.** Iusti autem \* In perpétuum vivent. **Iusti. V.** Et apud Dóminum est merces eárum. In perpétuum vivent. **Glória Patri. Iusti.**

**V.** Exsultábunt sancti in glória. **R.** Lætabúntur in cubílibus suis.

## AD VESPERAS

**Antiphonæ, Capitulum et Hymnus de Laudibus; Psalmi ut in IVesperis de Communi Apostolorum, sed loco ultimi Psalmus 131** Memento, Dómine David.

**V.** Elégit eos Dóminus sacerdótes sibi. **R.** Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

**Ad Magnif. ant.** Dum essent summi Pontífices, terréna non metuérunt, sed ad cælestia regna gloriósi migrá-runt.

Die 18 Augusti

S. ROCHI

Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

**R**ochus, in Monte Pessuláno natus, quanta in próximum caritáte flagraret tum máxime osténdit, cum, sævíssima peste longe latéque per Itáliam grassánte, pátria relícta, Itálicam peregrinatióem suscepit, urbésque et óppida péragrans; se ípsium in ægotántium obséquium impéndere, animámque suam pro frátribus pónere non dubitávit. Quod beáti viri stúdiúm quam grátum Deo fúerit, miris sanatióibus declarátum est. Complúres enim pestilentia inféctos e mortis perículo signo crucis erípuit, et íntegræ sanitáti restituit. In pátriam réversus, virtútibus et méritis dives, sanctíssime óbiit, eíusque óbitum statim subsecúta est venerátio fidélium, quæ in Constantiénsi deinde concílio magnum recepisse díctur incrementum, cum ad propulsándam ingruéntem luem Rochi imágo solénni pompa, omni comitánte pó-pulo, per eándem civitátem, episcopis aprobántibus, est deláta. Itaque eius cultus mi-

(26) **Die 17 Septembris S. Hildegardis Virginis**

rífice propagátus, et multæ civitatés eúndem sibi apud Deum advérsus contagiósam luem patrónum religiósio stúdio adoptárunt. – Te Deum.

**AD LAUDES**

**V.** Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Bened. ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

**Oratio**

**P**ópulum tuum, quæsumus Dómine, continúa pietate custódi: et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dñm.

**Et fit commemoratio S. Agapiti Martyris:**

**Ant.** Qui odit \* ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

**V.** Iustus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

**Oratio**

Lætétur Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti Mártyris tui confisa suffrágiis: atque eius précibus gloriósis, et devóta permáneat, et secúra consístat. Per Dóminum nostrum.

Die 17 Septembris  
**S. HILDEGARDIS**

**Virginis**  
**III classis**

**AD MATUTINUM**

**Lectiones i et ii de Scriptura occurrenti cum sequentibus responsorii:**

**R. I** In caritaté perpétua diléxit Hildegárdem Dóminus: ideo attráxit eam ab infántia, et duxit in solitúdinem: \* Et locútus est ad cor eius. **V.** Sponsávit eam sibi in sempitérnum in fide et in misericórdia. **Et.**

**R. II** Apparuerunt cælestes spíritus, qui Hildegárdem ad Agni núptias invitábant, dicéntes \* Veni, Dómina, quia te expéctant cæli delíciæ. **V.** Veni de Líbano, sponsa; veni de Líbano; veni, coronáberis. **Veni. Glória Patri. Veni.**

**Lectio iii**

**H**ildegárdis sub regímine beátæ Iuttæ in montem sancti Disibódi secéssit. Monásticam vitam proféssa, Iuttam defúntam, magístram secúta est. In monte sancti Rupéрти prope Pínguiam novum monastérium extrúxit. Quadragínta fere annos nata ígneo túrbine, miro intelligentiæ sacrarúmque Scripturarum expositiόνis dono, prophetiæ múnere aliisque

charismátibus ornáta est. Cuius fama exínde diffúsa, Pontífices, epíscopi, Imperátor, reges, príncipes, viri sancti et erudíti illíus consílium exquirébant. Illa autem córdium secréta perspíciens, néminem nisi consolátum, ad melióra excitátum, a se dimittébat, infirmos quoque sanábat. Divíno dénique impúlso Spírítu et apostólicó zelo ástuans itínera non pauca suscipiébat. Vias Dómini intrépide annúntians hæréticos confutábat. Tot labóribus et ærúmnis tandem exústa, anno Dómini millésimo centésimo septuagésimo nono ad patrem lúminum migravit. Te Deum laudámus.

#### AD LAUDES

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

**Ad Bened. ant.** O digníssima Christi sponsa, \* quam lux prophetiæ illustrávit, zelus apostólicus inflammávit, láurea vírginum coronávit, divíni amóris incéndium consummávit.

#### Oratio

**D**eus, qui beátam Hildegárdem Vírginem tuam donis cæléstibus decorásti: tríbue, quæsumus; ut, eius vestigiis et documentis insistentes, a præsentis sæculi calígine ad lucem tuam delectabilem transire mereámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Confessoris:

**Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

**V.** Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

#### Oratio

Dómine Iesu Christe, qui, frígescénte mundo, ad inflammandum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Francisci passiónis tuæ sacra Stigmata renovásti: concéde propítius; ut eius méritis et précibus crucem iúgiter ferámus, et dignos fructus pæniténtiæ faciámus: Qui vivis.

#### AD VESPERAS

**Capit.** 2 Cor. 10, 17-18

**F**ratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est: sed quem Deus comméndat.

#### Hymnus

**S**alve, nostra tu glória,  
Exémplar es quæ Vírginum!

(28)

Die 16 Octobris S. Hedwigis Viduæ

Audi benigna súpplices  
Tibi canéntes cánticum.

**O** virgo, quæ mirábilis  
Vixísti amóris víctima,  
Et nunc beáris fúlgidis  
Cæli recépta sédibus.

**V**itæ per æquor túrbidum  
Tuos cliéntes dírige,  
Nobisque amícum cómpara,  
Cui te revínxit grátia.

**S**icut dolos intérrita  
Vicísti, et artes hóstium,  
Et robur in díscrimine  
Sumens, nitébas púlchrrior:

**S**ic bella nos quot íngruunt  
Da, te favénte, fúndere,  
Virtútis almæ ac sémitam  
Vultu seréno cúrrere.

**A**lat repóstam méntibus  
Fidem supérna cáritas;  
Mores adórnet áureos  
Intemeráta cástitas.

**S**ummo Parénti ac Fílio  
Tibíque, Sancte Spíritus,  
Sit laus, potéstas, glória,  
Per sempitérna sáecula.  
Amen.

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis  
tuis. **R.** Proptérea benedíxit  
te Deus in ætérnum.

**Ad Magnif. ant.** Hildegárdis  
prophetíssa, \* Spíritus Sanc-  
ti splendóribus illustráta, vi-  
as Dómini revelávit. Súbveni  
nobis Hildegárdis virgo sanc-  
tíssima, ætérni regis sponsa,  
in cuius aula splendéscis sic-  
ut stella fulgentíssima.

Die 16 Octobris

S. HEDWIGIS

Viduæ

Titularis Eccl. Cathedralis

I classis

*Omnia de Communi non Virgi-  
num, præter ea, quæ hic habentur  
propria.*

AD I VESPERAS

**V.** Os suum apéruit sapien-  
tiæ. **R.** Et lex cleméntiæ in  
lingua eius.

**Ad Magnif. ant.** Regnum  
mundi \* et omnem ornátum  
sáeculi contémpsi propter  
amórem Dómini mei Iesu  
Christi, in quem crédidi,  
quem diléxi.

AD MATUTINUM

*In I Nocturno lectiones Mulierem  
fortem ut in Communi.*

In II Nocturno

Lectio iv

**C**rescénce religióne chri-  
stiána in pártibus sep-  
tentrionalibus Polóniæ et Si-  
lésiæ ab anno nongentésimo  
sexagésimo quinto, ut eo glo-  
riósius lucérna fidei illucés-  
ceret, et Petri navícula inter  
mundánas illécebras et insí-  
dias firmióre navígo remigá-  
ret, et per sanctitátem hómi-  
num firmarétur: velut stella  
matutína a regálibus emissa  
sédibus, Henríci Longobar-  
báti Silésiæ ducis, et Polóniæ

principis, coniux Hedwigis præ ceteris terris Silésiam illustrávit. Sanctæ Elisabethæ filia regis Hungáriæ matrètera, Berthóldi et Agnétis Merániæ marchiònum filia, ánimi ab ineunte ætáte moderatiónem prótulit. Adhuc enim puéllula puerilibus abstínuit, et, duodénis Henríco Polóniæ duci a paréntibus núptui trá dita, thálami fide sancte serváta, prolem inde suscèptam in Dei timóre erudívit. Ut autem commódius Deo vacáret, ex pari voto et consensu unánimi, ad separatió nem thori virum indúxit. Quo defúncto, ipsa in monastério Trebnicénsi, Deo, quem assídus précibus exoráverat, inspiránte, Cisterciensem devóta sumpsit hábitum: in eóque, contempla tióni inténta, divínis Officiis et Missárum solémniis a solis ortu ad merídiem usque assídua assístens, anti quum húmáni géneris hostem fortis contémpsit.

**R.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et iustítiam: \* Et dedúcet te mirábíliter dextera tua. **V.** Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspe re procéde, et regna. **Et.**

### Lectio v

**S**æculi autem commércia, ni divína vel animárum

salútem attingerent, audire vel loqui non sustínuit. Prudentia in agéndis sic emícu it, ut neque excéssus esset in modo nec error in ór dine, comis alióqui et mansuéta in próximum. Grandem autem de se triúmphum ieiúniis et vigíliis vestiúmque asperitáte, austéra carnem mácerans, reportávit; hinc sublimióri bus flores virtútibus christiá nis, consiliórum gravitáte, animíque candóre et quiéte, in exímium religiósæ pietátis evásit exémplar. Omnibus se ultro subiícere atque vilióra præ ceteris moniálibus alá criter múnia subíre; paupéribus étiam flexo genu ministráre, leprosórum pedes ab lúere et osculári, ipsi familiáre erat; neque illórum úlcera sánie manántia, sui victrix, abhórruit.

**R.** Dilexísti iustítiam, et odísti iniquitátem: \* Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. **V.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et iustítiam. **Proptérea.**

### Lectio vi

**M**ira fuit eius patientia animíque constántia; præcípue vero in morte Henríci ducis Silésia, sui, quem matrène diligébat, filii in bello a Tártaris cæsi, ení tuit: pótius enim grátias Deo, quam filio lácrimas réddidit.

Miraculorum dénique glória percrebuit; púerum enim demersum et moléndini rotis allisum et prorsus attritum, invocáta, vitæ restituit; aliáque præstitit, ut, rite iis Clemens quartus probátis, Sanctorum número eam adscripserit, eiúsque festum in Silésia, ubi præcípua veneratióne uti patróna cólitur, die décima quinta Octóbris celebrári concesserit. Quod deinde ab Innocéntio undécimo ad univérsam Ecclésiám ampliátum Pius undécimus in diem décimam sextam Octóbris transtulit.

**R.** Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: \* Múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. **V.** Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera eius. **Múlier. Glória Patri. Múlier.**

**In III Nocturno Homilia in Evangelium** Símile est regnum, de eodem **Communi.**

#### AD LAUDES

**V.** Adiuvábit eam Deus vultu suo. **R.** Deus in médio eius, non commovébitur.

**Ad Bened. ant.** Tu honorificéntia \* pópuli nostri, quæ fecísti viríliter, quia manus Dómini confortávit te.

#### Oratio

**D**eus, qui beátam Hedwígem a sáeculi pompa ad

húmílem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti: concéde; ut eius méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delicias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre: Qui vivis et regnas.

#### AD II VESPERAS

**V.** Elégit eam Deus, et prælégit eam. **R.** In tabernáculo suo habitáre facit eam.

**Ad Magnif. ant.** Hedwígis sancta ínclýta, \* in cælésti cúria coronáta, nos post hoc exsílíum fac habére cæli gáudium.

Die 31 Octobris

S. WOLFGANGI

Episcopi et Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

**W**olfgángus, in Suévia natus, solum ex ánimo Deum quærens, monásticam vitam est ampléxus. Sacris ordínibus a beáto Udalríco iniatiatus, propter coniúctam in eo exímia cum pietáte prudentiam, totíus cleri et pópuli acclamatióné, ecclésiæ Ratisbonénsi rite præficítur. Suscépto episcopátus múnere, gregem Dómini Verbo pavit, et exémplo, sanctissimisque ecclésiám temperávit insti-

tútis. Bohémis próprium dari episcopum permísit. Egrégiam viri sanctitátem energúmeni et váriis languóribus opprési, quos precatióne sanávit, comprobárunť. Cum viginti annis in séduli Pastóris múnere peráctis, extrémum sibi diem imminére intelligéret, quæ ex usitáta liberalitáte supérerant, per manus páuperum præmísit et sanctíssimam vitam pari morte conclúsit anno Dómini nongentésimo nonagésimo quarto, Ratisbónæ in templo sancti Emmerámi sepúltus. – Te Deum.

### Oratio

**E**xaudi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Wolfgángi Confessoris tui atque Pontíficis solemnitate deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, eius intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccáttis. Per Dóminum nostrum.

Die 5 Novembris

## SACRARUM RELIQUIARUM

quæ in ecclesiis diócesis  
asservantur

### III classis

Quæ non sunt de Psalterio nec de Proprio de Tempore, sumuntur de Comuni plurimorum Martyrum, præter orationem et lectionem iii proprias.

## AD MATUTINUM

### Lectio iii

Ex Tractátu  
sancti Ioánnis Damascéni  
de fide orthodoxa

### Lib. 4 Cap. 15

**C**hristus Dóminus Sanctórum reliquias velut salutáres fontes præbuit, ex quibus plúrima ad nos beneficia manant, suavíssimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam his fidem detrahat. Nam si aqua in deserto ex dura et áspera rupe, atque ex ásini maxilla, ad sedándam Samsóni sitim, Deo ita volénte, prosíliit, cur incredibile videátur ex Mátyrum reliquiis unguéntum suáve scaturíre? Mínime certe iis, quibus Dei poténtia et honor, quo Sanctos suos áfficit, perspécta sunt et exploráta. In lege quidem, quisquis mórtuum tetígerat, inmúndus censebátur. Hi verum in mortuórum número mínime sunt habéndi. Ex quo enim ille, qui ipsa Vita est, et vitæ Auctor, inter mórtuos deputátus est: eos qui cum spe resurrectionis fidéque in ipsum obdormiérunt, nequáquam mórtuos appellámus. Qui enim mórtuum corpus miracula édere queat? Quanam ígitur ratióne, horum ópera dáemones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci vi-

sum recípiunt, leprósi mundántur, tentatiónes discutiúntur ac mæróres, omne déni- que datum óptimum, iis qui fide non dúbia póstulant, per eos descéndit a Patre lúmi- num? Quid labóris non sus- cipias, ut patrónum nancis- cáris, qui te mortáli regi óf- ferat, et pro te ad eum verba fáciat? An non ígitur hono- rándi, qui totíus géneris hu- máni patróni sunt, Deoque pro nobis súpplíces preces ád- hibent? Honorándi certe: et quidem ita, ut in eórum nó- mine templa Deo, exstruá- mus, dona offerámus, memó- rias eórum colámus, atque in iis spirituáliter oblectémur: ea útique lætítia, quæ illis arrídeat a quibus invitámur, ne, dum demeréri illos stu- démus, offendámus pótius et irritémus. Quibus enim re- bus Deus colitur, iisdem ser- vi quoque ipsíus oblectántur: quibus autem Deus offéndi- tur, iisdem étiam mílites of- fendúntur. Quocírca in psal- mis et hymnis et cánticis spi- rituálibus, et compunctióne quoque, et egenórum miser- atióne, quibus et Deus potís- simum colitur, nos qui fidé- les sumus, colere Sanctos opórtet. Státuas eis et imá- gines quæ videántur, erigámus: immo virtútes eórum imitán- do hoc consequámur, ut vivæ ipsórum státuæ imaginés- que evadámus. – Te Deum.

#### AD LAUDES

**V.** Exsultábunt Sancti in gló- ria. **R.** Lætabúntur in cubíli- bus suis.

**Ad Bened. ant.** Vestri capílli cápitis \* omnes numeráti sunt: nolite timére: multis passéribus melióre estis vos.

#### Oratio

**A**uge in nobis, Dómine, re- surrectiόνis fidem, qui in Sanctórum tuórum reli- quíis mirábília operáris: et fac nos immortalis glóriæ partícipes, cuius in eórum ci- néribus pígnota venerámur. Per Dóminum.

#### AD VESPERAS

**V.** Exsultábunt Sancti in gló- ria. **R.** Lætabúntur in cubíli- bus suis.

**Ad Magnif. ant.** Gaudent in cælis \* ánimæ Sanctórum, qui Christi vestigia sunt se- cúti: et quia pro eius amóre sánguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exsúltant sine fine.

Feria III post  
Dominicam II Novembris

### DEDICATIO ECCLESIAE CATHEDRALIS

#### I classis

**Omnia de Communi Dedicacionis in Breviario, præter lectionem vi, quæ dicitur ut infra.**



In II Nocturno Lectio iv et v de Communi.

### Lectio vi

**C**athólici Berolinenses, ducentos fere annos ecclésiis et animarum ordinaria cura privati, anno millésimo septingentésimo quadragésimo sexto a Borússiæ rege, Friderico secúndo, propriæ ecclésiæ erigendæ licéntiam obtinuere. Tum Benedictus Papa Décimus quartus christiánum orbem adhortátus est, ut, stipe generóse colláta, Berolinénsi templo extruendo obveniret. Structúra itaque anno millésimo septingentésimo septuagésimo tertio feliciter absolutá, Ignátius Krasicki, Warmiënsis Episcopus, die festo Omnium Sanctórum, templum solémni ritu Deo in honórem sanctæ Hedwígis dicávit. Post quinquaginta circiter annos, Pius Papa séptimus ecclesiasticam regiónem Berolinensem, cum vicinis Brandenbúrgi ac Pomerániæ partibus, ad Administratúræ Apostólicæ gradum evéxit, sub Wratislaviënsium Episcopórum iurisdictione, qui rite suos delegátos ecclésiæ sanctæ Hedwígis præpósitos statuere. Crescénte dénique Berolinënsium número cathólicorum, ac novis ideo multisque in urbe paróchiis institútis, princeps illud sanctæ

Hedwígis templum a Summo Pontífice Pio décimo primo Basilicæ minóris título et privilégiis decorátum est: anno vero millésimo nongentésimo tricésimo, Idibus Augústi, idem Summus Póntifex Berolinensem diocésim eréxit, et sanctæ Hedwígis templum ad Ecclésiæ Cathedrális dignitátem éxtulit. Primus Berolinënsis episcopus, Christiánus Schreiber, prótinus interiorem eiúdem templi partem restaurándam curávit, et in pervigílio solemnitétis Pentecóstes, anno millésimo nongentésimo tricésimo secúndo, consecratione novi altáris maióris perácta, excélsæ suæ dignitáti tráditum est.

**R.** Mane surgens Iacob erigébat lápidem in título, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino: \* Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. **V.** Cumque evigiláset Iacob de somno, ait. Vere. Glória Patri. Vere.

Die 19 Novembris

S. ELISABETH

Viduæ

II classis

Omnia de Communi non Virginum, præter orationem et lectiones proprias.

In I Nocturno lectiones Mulierem fortem de Communi.

## In II Nocturno

## Lectio iv

**E**lisabeth Andréæ regis Hungariæ filia ab infántia Deum timére cœpit: et crescens ætate, crevit étiam pietate. Ludovico Lantgrávio Hássiæ et Thuringiæ in cóniugem copulata, non minóri cura quæ Dei, quam quæ viri sui erant, exsequébatur. Surgens enim noctúrno tẽmpore, orationi diu incumbébat; ac váriis misericórdiæ officiis dedita, víduis, pupillis, ægrotis, egéntibus sédulo inserviébat; gravique fame urgente, domus suæ fruménta liberáliter erogábat. Leprosos hospítio suscipiens, manus eórum et pedes osculabátur. Curándis autem et aléndis paupéribus insigne xenodóchium constrúxit.

**R.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et iustitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Spécie tua et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna. **Et.**

## Lectio v

**D**efuncto cóniuge, ut Deo libérius servíret, depóstitis ómnibus sæcularis glóriæ indumentis, vili túnica indúta est, atque órđinem Pœniténtium sancti Francísci ingressa, paciéntiæ et humilitátis virtúte máxime enítu-

it. Nam bonis ómnibus exúta, a própriis ábdibus eiécta, ab ómnibus derelicta, contumélias, irrisionés, obtrectationés invicto ánimo tolerávit, ádeo ut summópere gauderet, se tália pro Deo pati. Ad ínfima quæque ministéria erga páuperes et ægrótos se abiiciens, eis necessariá procurábat, solis oléribus et legumínibus pro suo victu conténta.

**R.** Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et iustitiam. **Propterea.**

## Lectio vi

**C**um vero in his aliisque plúrimis sanctis opéribus vitam religiosissime transe-gisset, finis tandem suæ peregrinationis advénit, quem domésticis suis ante prædixit. Cumque defixis in cælum óculis divínæ contemplationi vacáret, a Deo mirabiliter recreata, et sacraméntis refécta, obdormívit in Dómino. Statímque plúrima ad eius túmulum miracula patrata sunt. Quibus auditis, et rite probátis, Gregórius nōnus Sanctórum número eam adscripsit.

**R.** Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: \* Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. **V.** Da-

te ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera eius. **M**úlier timens Deum, ipsa laudábitur. **G**lória Patri. **M**úlier.

### In III Nocturno

Léctio Sancti Evangéllii  
secúndum Matthæum.

#### Lectio vii Cap. 13, 44-52

**I**n illo témpore: Dixit Iesus discipulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscondito in agro. Et réliqua.

Homília sancti  
Gregórii Papæ.

#### Homil. 11. in Evang.

**C**ælórum regnum, fratres caríssimi, idcirco terrénis rebus símile dicitur, ut ex his quæ ánimus novit, surgat ad incógnita quæ non novit: quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea, quæ usu dídicit, quasi confricátus incaléscat: ut per hoc, quod scit notum diligere, discat et incógnita amáre. Ecce enim cælórum regnum thesáuro abscondito in agro comparátur: quem qui invenit homo, abscondit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum.

**R.** Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lin-

gua eius: considerávit sémitas domus suæ, \* Et panem otíosa non comédit. **V.** Gustávit et vidit quia bona est negotiátio eius: non exstinguétur in nocte lucérna eius. **Et.**

### Lectio viii

**Q**ua in re hoc quoque notándum est, quod invéntus thesáurus absconditur, ut servétur: quia stúdiúm cælestis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscondit. In præsentí etenim vita, quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus. Malígni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident. Deprædári ergo desiderat, qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, cum scriptum sit: Vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est: sed ut per hoc, quod ágimus, laudes extérius non quærámus. Sic autem sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occulto: ut et de bono ópere próximis præbeámus exémpulum, et tamen per intentiónem, qua Deo soli placére quærímus, semper optémus secrétum.

**R.** Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi,

propter amorem Dómini mei Iesu Christi: \* Quem vidi, quem amávi, in quem credidi, quem diléxi. **V.** Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. **Quem. Glória Patri. Quem.**

### Lectio ix

**T**hesáurus autem cæléste est desidérium: ager vero, in quo thesáurus absconditur, disciplina stúdi cælestis. Quem profecto agrum venditis ómnibus cómparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta sua terréna desidéria per disciplinæ cælestis custódiám calcat: ut nihil iam, quod caro blánditur, líbeat; nihil quod carnálem vitam trucídat, spíritus perhorrescat. – Te Deum.

### AD LAUDES

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

**Ad Bened. ant.** Date ei \* de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera eius.

### Oratio

**T**uórum corda fidélium, Deus miserátor, illústrat, et, beátæ Elisabeth précibus

gloriósiss; fac nos próspéra mundi despícere, et cælésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio S. Pontiani Papæ et Mart.**

**Ant.** Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

**V.** Iustus ut palma florébit.

**R.** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

### Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Pontíanum Mátyrem tuum atque Summum Pontíficem perpétua protectiόne custódi; quem totius Ecclésiæ præstitisti esse pastórem. Per Dóminum.

**Ad Horas minores antiphona et psalmi de feria currenti.**

### AD VESPERAS

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

**Ad Magnif. ant.** Manum suam \* apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otíosa non comédit.

**Completorium de dominica.**